



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

3. Mallei, quorum non est vllus vsus, dum ædificatur domus Sapientiae Virtutum fabrica. Pietatis Ædes. Malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur. Lib. II. Reg. VI. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

Crucem, ad Crucem D. N. JESU CHRISTI in quo est  
Salus, Vita, & resurrectio nostra. Per quem salvati & li-  
berati sumus.

---

ARTICULUS III.

MALLEI

Quotum non est ullus usus, dum ædificatur Domus  
Sapientiæ. Virtutum Fabrica. Pietatis  
Ædes.

*Malleus & Securis, & omne ferramentum non sunt audita in  
Domo, cùm adificaretur. Lib. II. Reg. vi. 7.*

**M**IRARI quispiam posset, quod in suppellectile  
Architecti Christiani numeremus Malleum, &  
& ad ejus tractationem horremur Ædificatores  
Domus Sapientiæ, cum constet in ædificatione Templi  
Salomonici, quod fuit typus Ædificii Spiritualis ex vir-  
tutibus, & est verum Templum Divinitatis, ac Domus  
Sapientiæ, non fuerit auditus strepitus, nec mallei per-  
cussio, quæ non fit absque strepitu, Clarissima sunt illa  
ex Regum sacra historia. *Domus*, (sive Templum) *cum æ-  
dificaretur, de lapidibus dolatis atque imperfectis* (siquidem jam  
dolati & perfecti erant in monte Libani, aut alibi, ante-  
quam in Sion ad fabricam Templi adducerentur) *ædifi-  
cata est: & (sive, idcirco) malleus & securis, & omne ferru-  
mentum non sunt audita in Domo, cùm adificaretur.* Nimirum  
opus non erat malleo, securi, aut alio instrumento fer-  
reo ad illos aptandos, vel jungendos, nam perfecti  
erant quadrati: quare calcem tantum adhibebant ope-  
rarii, ut cohærent, Rabbinicum est commentum

Malle-

Malleum non fuisse auditum in ædificatone Templi, eo quod Latomi sanguine vermiculi, quem Ianni vocabant, lapides secuerint. Nec reor, quod scripserunt Procopius & Glycas, omnes lapides, DEO ita disponente, sic fuisse in montibus natos, vel excisos, ut ferro ad copulationem haud egerent. Probabilissimum est, quod Lyranus, Abulensis, & ex iis recentiores docent, (a) ac paulò ante insinuavimus, fuisse in monte sectos, dolatosque lapides: ad quid ergo Malleus? cujus strepitum noluisse audiri etiam ob reverentiam Templi illius ædificatores suspicari possis; ac, ne Salomonis & aliorum Fabricam spectantium aures strepitu Malleatorum, & ferratorum offenderentur.

HÆC si ædificationi Domus Sapientiæ, quæ ex Virtutibus, tanquam lapidibus constat, accommodemus, dicere possumus, in ejus ædificatione, nullum esse usum malleorum, quæ strepitum edunt, & aures vulnerant, ut mallei ferrei; quamvis ejus Ædificatores malleis utantur iis, quos hæcenus explicavimus, & sunt virtutum functiones, quæ placidissimè, modestissimeque absque ullo sono molestiam adstantibus spectantibus-ve creante, opus suum peragunt. Qui autem sunt illi mallei, quibus percussione per strepitibus, Regis Pacifici aures offenduntur, nec ad Architecti Christiani suppellectilem pertinent? Aliquos istiusmodi nominat Divina Scriptura Et imprimis, Sunt MALLEI, de quibus Sapiens Proverbiorum XIX. 29. *Parati sunt Mallei percutientes stultorum corporibus.* Stultorum, id est, criminosorum, vel impiorum, ut exponit Dionysius, addens, quibus etiam in hac vita pro diversis flagitiis, varia & amara infliguntur tormenta, ut flagellationes, mutilationes, suspendia, rotationes ac similia genera mortis. Infernalibus quoque supplicia impenitentibus: quemadmodum in Apocalypsi dicitur; *Timidis, & incredulis, & execra-*

execra-

execratis, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure. Beda quoque ad supplicia gehennæ respiciens, *Reprobi*, inquit, *iustitiam*, vel *comminationis divinae iudicium derident*, parata tamen eos expectant *iudicia damnationis*, quæ, ut *Mallei ferrum candens*, ita eos in fornace gehennæ, sine fine verberant. Videre est, in Ardenna aliisque locis, ubi officinæ sunt malleatorum, ingentes, Malleos ferreos, molis aquarilibus elevari, quibus ferrum candens tunditur, qui horrorem intuentibus incutiunt. Ex quibus Malleos gehennæ, quibus in incude ignita runduntur reprobi, facile est imaginari. quod fecisse se testatur Vir doctus ac pius, Proverbiorum interpret. (a) Non est etiam absurdum, opinari, per *Malleos percutientes*, alludi ad crucifragium, quod iis, qui in crucem agebantur, crudeliter inferebatur: hoc enim malleis peractum olim, est verisimile (b) ut sensus sit *Mallei percutientes stultorum corporibus*, aut, ut est in Hebræo, *confractioes*, vel *confusiones*, hoc est, crux infamis, & crudele crucifragium manet stultorum iudiciorum divinorum irrisores, aut magis uniuersè, impios, certè, ijs debetur. Horum Malleorum strepitus non auditur, dum ædificatur Domus Sapientiæ, cum ad eius ædificationem non admittatur vllus stultus, impius, iudiciorum divinorum irrisor, & Iustitiæ contemptor.

MALLEI alterius est mentio celebris apud Ieremiam Prophetam, qui ita intonat, sive per admirationem, sive per irrisionem cap. 50. *Quomodo confractus est, & contritus Malleus uniuersæ terræ? Quomodo versa est in desertum Babylon in Gentibus?* Vocatur hic Babylon, aut potius eius Rex Nabuchodonosor *Malleus*, quia tanquam *Malleus adamantinus percusserat*, & contuderat totam terram

(a) Corn. à Lap. Prou. XIX. (b) Salazar Prou. XIX.

ram, ita ut nihil, quantumvis durum & æneum ei resistere posset, aut eius ictum sustinere, quin confringeretur, ac diffiliret. Quo intuitu arrogantius quam feliciter Fridericus II. Imperator iactabat se esse Malleum Romæ, & Romanæ Ecclesiæ, immò Orbis terrarum universi. Quocirca *Malleus Babylonicus* symbolicè est superbia, arrogantia, iactantia, sui æstimatio, aliorum despectus, Tyrannis. Hujus etiam Mallei sonus non auditur in ædificatione Domus Sapientiæ, ad quam conueniunt soli humiles, modesti, suorum non auari detentores, alienorum nequaquam auidi raptores, sed benefactores vniuersæ terræ.

S. Augustino tract. de honest. mulier. *Malleus Babylonicus*, olim dominans, & conterens totam terram, nempe, omnes homines est Luxuria. Et quamuis, ut scribit, post aduentum Christi. per vniuersa monasteria monachorum, & per clericos, vel etiam laicos castitatem seruantes, quasi contritus *Malleus* ille videatur; tamen adhuc multo plures sunt, qui ab illo *Malleo* quotidie confringuntur, quam illi, qui de collisionis illius ruina liberantur. Neque huius *Mallei* strepitus percipitur in ædificatione Domus Sapientiæ, cum nullus sit ad *Ædificium* istud construendum idoneus, qui non sit mundus, purus, pudicus, & si non virgo, certè virgineus. Abest quoque ab eadem Domo, dum ædificatur, strepitus *Mallei* *Babylonici*, quatenus est superflua Cura rerum temporalium, ut illum exponit (a) S. Paulinus: nam omnibus eius ædificatoribus dictum est: (b) *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Ex ijs multi sunt paupertatis externæ amantes non admittuntur in numerum ædificantium nisi pauperes Spiritu. Quod si quidam non renunciant omnibus quæ possident, ijdem  
tamen

(a) S. Paulin. epist. 12. (b) Matt. V. 33.